



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. Quod sit officium Iudicis ad quem, & quomodo procedere possit ac  
debeat?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

certum tempus præfixum ab Episcopo, ad Curiam Romanam appellationis prosequendæ causâ accedat, uti habetur in *c. Peruenit. 28. h. t.* ita ut Episcopus præbendâ eum privare possit, nisi alterutrum fecerit, si nullam justam causam habeat, eum de facili tantum appellatione in tali casu sit præsumptio.

## §. II.

*Quod sit officium Iudicis ad quem, & quomodo procedere possit ac debeat?*

**I**udex, ad quem appellatum fuit, debet appellationem ad se delatam admittere, de ejus justitia cognoscere, & si viderit, illam legitimè interpositam, debet pronuntiare, appellationem esse justam, sive malè judicatum, bene appellatum esse. Si verò viderit, illam esse illegitimè factam, debet illam pronuntiare injustam, sive bene judicatum, malè appellatum esse. Et quamvis per se vel per alium non suspectum de causa & justitia appellationis cognoscere possit, non potest tamen causam appellationis examinandam ad Iudicem, à quo est appellatum, remittere (nisi pars, quæ appellavit, consentiat. *c. Accepta. 35. h. t.* quia præsumptio est, & periculum, ne iterum gravet) etiam casu quo Iudex, à quo fuit appellatum, in locum Iudicis, ad quem fuit appellatum, modò autem defuncti aut depositi successit, (ob rationem etiam in hoc casu urgentem) sed debet in tali casu appellatione examinanda alteri personæ non suspectæ delegari, quæ vel remitter appellentem ad Iudicem à quo, si advertat malè appellatum, & in expensas temerarium hunc appellentem condemnabit (nisi Iu-

dex à quo appellationi detulerit. *c. De appellationibus 5. h. t. in 6.*) vel si bene appellatum advertat, priorem sententiam à Iudice à quo malè latam cassabit, et pro parte reformabit, & sic de casu principali pronuntiabit, modò de iuris causæ per probationes comparatas ei constet, etiam si in hac secunda appellationis instantia lis coram Iudice appellationis contestata non fuerit, vel conventa in hac secunda instantia facta contumaciter absens. *c. Per tuos 98. h. t.* cum litis contestatio in prima instantia facta nec per appellationem tollatur, nec extendere etiam se possit ad causam appellationis. Vide plura de his apud Auctor. Method.

## §. III.

*Cui incumbat, seu imponi debeat Iudice onus probandi in causa appellationis?*

**A**d Initium processus appellationis appellatus coram Iudice ad quem appellatus probare debet tria; appellasse se Iudicem, & quidem legitimo tempore à sententia vel gravamine illato; & Secundo appellasse se ex causa rationabili, tali scilicet quæ si probata fuerit, iusta declaratio appellatio; & Tertio denique debet appellans producere appellationem, ipsam sententiam v. g. à qua appellatio procedit. Procurator autem, si per hunc appellationem prosequatur appellans, debet insuper probare mandatum, & curatorem derato. His probatis procedi v. g. iuris rursus, & quælibet pars excipiens sententiam appellationem probare debet, ac modò de causæ principalis, qui eadem probare debuit in prima instantia directè Iudice